



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 150. Vtrum spes detur in beatis, in animabus purgatorii, & in damnatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

possumus positivè diffidere, & formidine voluntatis formidare de consecutione beatitudinis, si per nos non steterit, & sic peccare peccato commissionis contra præceptum negativum non diffidendi, ac non formidandi de consecutione beatitudinis, si per nos non steterit.

3. Quæritur, vtrum retenta fide firmissima diuinarum promissionum, possumus positivè desperare nos consecuturos æternam beatitudinem.

4. Certum est, quod possumus desperare, amissa fide diuinarum promissionum: e. g. potest aliquis discredendo Deum promississe æternam beatitudinem, si per nos non steterit, desperare se consecuturum æternam beatitudinem. Solum igitur dubitatur, vtrum possumus desperare, retenta fide firmissima diuinarum promissionum?

5. In hac quæstione existimò primò, quod retenta fide diuinarum promissionum, possumus nolle obseruare præcepta, ac proinde nolle implere conditiones, sub quibus promissa est beatitudo, & sic absolutè desperare nos consecuturos beatitudinem.

6. Existimò secundò adum absolutè desperandi beatitudinem modo explicato esse prohibitum grauius per præcepta sperandi, ac proinde volendi facere quæ ad nos spectant. Hinc sequitur, quod qui sic desperaret beatitudinem, grauius peccaret contra tale præceptum, & consequenter amitteret habitum infusum spei.

7. Existimò tertio, quod retenta fide diuinarum promissionum, potest quis existimare Deum de facto non daturum sibi auxilia efficacia ad implendas conditiones, & sic ex quadam diffidentia de diuina misericordia desperare se consecuturum absolutè beatitudinem. Et quia etiam hæc diffidentia, ac desperatio est grauius prohibita præcepto sperandi, grauius peccaret contra præceptum sperandi, & amitteret habitum infusum spei.

8. Existimò quarto, quod quia non est de fide Deû daturum nobis auxilia re ipsa efficacia ad implendas conditiones, ille, qui temerè existimaret Deum non daturum sibi auxilia efficacia, licet peccaret contra spem, non peccaret contra fidem peccato infidelitatis, ac proinde non amitteret habitum fidei.

9. Existimò quinto, quod licet teneamur sperare Deum daturum nobis auxilia efficacia, & sic nos consecuturos beatitudinem absolutè, tamen cum Deus non promiserit nobis auxilia efficacia, & cum sine formidine debeamus solum sperare, quæ Deus promisit, debemus quidem sperare, sed non sine formidine, Deum daturum nobis auxilia efficacia: imò debemus formidare, ne Deus, qui est supremus dominus, iusto suo iudicio neget nobis auxilia efficacia ad salutem, & permittat nostram damnationem. Ideò cum timore, & tremore debemus obseruare diuina præcepta, iuxta illud Apostoli ad Philip. 2. *Cum metu, &*

tremore salutem vestram operamini. Deus enim est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.

QVÆSTIO CL.

Vtrum spes detur in beatis, in animabus purgatorij, & in damnatis?

Infertur septimò in beatis non dari spem. Ratio est, quia obiectum materiale spei est bonum arduum, vt dictum est quæst. 145. sed beati, qui possident infinitum bonum, nullum bonum possunt apprehendere vt arduum; ergo &c. Probatur minor: nam de ratione boni ardui est, vt debeat desiderari cum quodam conatu, & cum quadam eleuatione animi, & vt eius absentia, ac dilatio afferat sollicitudinem, & tristitiam, iuxta illud Proverbiorum 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam*; sed beati, qui possident infinitum bonum, cætera bona apprehendunt tamquam ita parua, vt eorum absentia, & dilatio nullam debeat afferre sollicitudinem, & tristitiã, & vt non debeant illa desiderare cum conatu, & eleuatione animi; ergo &c. Hinc sequitur beatos resurrectionem, & gloriam corporum propriè non sperare, sed solum quietissimè expectare sine vilo conatu, & sine vlla tristitia. Sequitur rursus, quod quia Christus à primo instanti Incarnationis fuit beatus, non habuit actum, neque habitum spei, ideòque cū Christo tribuitur spes, tribuitur spes impropria, in quantum significat simplicem expectationem boni futuri.

2. Infertur octauo ex opposita ratione in animabus purgatorij dari spem. Ratio est, quia animæ purgatorij apprehendunt beatitudinem vt bonum arduum, quod debent desiderare cum quodam conatu, & eleuatione animi, & cuius absentia, & priuatio debet afferre sollicitudinem, & tristitiam.

3. Addo primo, quod si animæ purgatorij credunt fide certa, sed obscura se consecuturos beatitudinem, actus spei est illis arduus, non solum ex obiecto, sed propter modum sperandi. Difficile enim ipsis est sperare, prout oportet, quod non euidenter cognoscunt se consecuturos.

4. Addo secundò, quod si eadem animæ fide non solum certa, sed etiam euidenti in attestante, credunt se consecuturos beatitudinẽ, sicut debent hoc credere certitudine intellectuali superante euidentiam, sic debeat sperare se consecuturos beatitudinem firmitate voluntatis superante euidentiam; sed talis modus sperandi est arduus arduitate propria spei theologicæ; ergo &c.

5. Infertur nono, in damnatis non posse dari spem, non solum beatitudinis, sed nec vllius boni. Ratio est, quia de conceptu obiecti sperabilis est, vt non apprehendatur adeo paruum, vt eius consecutio non possit morari.



liter leuare, & minuere tristitiam, & miseriam; sed damnati cognoscunt se non posse consequi vllum bonum, nisi ita paruum, vt non possit moraliter leuare, & minuere tristitiam, & miseriam; ergo non possunt sperare vllum bonum, sed solum possunt desiderare, & expectare. Ex. gr. diues sepultus in inferno Luc. 16. desiderauit quidem, & petijt guttam aquae, sed illam propriè non sperauit, siquidem guttam aquae apprehendebat, tamquam bonum adeo paruum, vt non posset moraliter minuere dolorem.

QVAESTIO CLI.

Vtrum is, cui reuelata fuisset reprobatio, posset sperare, & is, cui reuelata fuisset praedestinatio, posset desperare beatitudinem?

1. **I**nfertur decimo, quid dicendum sit in quaestione satis difficili, in qua quaeritur, vtrum is, cui reuelata fuisset absolute reprobatio, & damnatio reuelatione sufficienter proposita, & obligante ad credendum, posset sperare beatitudinem.

2. Dicendum, quod posset non credere tali reuelationi, & sic posset imprudenter sperare beatitudinem spe humana, non autem spe theologica: si verò crederet, non posset in sensu composito sperare, sed deberet desperare beatitudinem.

3. Probaturs prima pars: nam ad sperandam beatitudinem spe humana, sufficit, vt aliquis opinetur se posse consequi beatitudinem, illamque de facto consecuturum; sed non credendo reuelationi de sua reprobatione, posset opinari, se posse consequi beatitudinem, & de facto illam consecuturum; ergo &c.

4. Probaturs secunda pars: nam spes theologica debet esse prudens, & debet fundari in fide, qua certò credamus nos, si per nos non steterit, posse consequi, & consecuturos beatitudinem in sensu composito cum ijs, quae sunt reuelata; sed is, cui reuelata esset reprobatio, & damnatio, non posset fide diuina hoc credere, sed potius deberet credere se in sensu composito cum reuelatis, nimirum cum reprobatione, non posse consequi beatitudinem; ergo.

5. Probaturs tertia pars: nam qui certus est de sua damnatione, non potest in sensu composito cum hac certitudine sperare beatitudinem, sed debet omnino de beatitudine desperare.

6. Ex eo, quod is, cui reuelata fuisset obscure damnatio, posset imprudenter sperare beatitudinem, sequitur, quod remaneret viator saltem imperfectè. Ad hoc enim sufficit, vt possit saltem imprudenter spe humana sperare suum vltimum finem. Non remaneret tamen viator perfectè, ita vt posset prudenter sperare suum vltimum finem.

7. Opponi potest primo: posset aliquis in priori signo naturae ex fide, qua credit diuinae promissiones, spe theologica sperare beatitudinem, & in posteriori signo naturae accipere reuelationem de sua reprobatione; ergo in eodem instanti temporis, in quo alicui reuelatur damnatio, & reprobatio, potest is spe theologica sperare beatitudinem.

8. Respondeo, negando antecedens, ac dico, quod actus spei theologicae de consecutione beatitudinis non potest coniungi cum reuelatione reprobationis, ac damnationis in eodem instanti temporis, etiam pro diuersis signis talis instantis. Ratio est, quia opposita se mutuo excludunt ab eodem subiecto pro eodem instanti temporis, & pro quolibet signo eiusdem instantis: ex. gr. quia affirmatio, & negatio, amor, & odium efficax eiusdem obiecti, sunt actus oppositi, mutuo se excludunt ab eodem subiecto pro eodem instanti temporis, & pro quocumque signo talis instantis, ac proinde implicat, vt aliquis in eodem instanti, in signo priori affirmet, in posteriori neget idem obiectum; sed spes theologica salutis, & reuelatio absoluta damnationis opponuntur, siquidem spes theologica salutis supponit speranti non fuisse reuelatam damnationem, in eodem instanti temporis; ergo &c.

9. Ex eadem doctrina solui potest etiam argumentum, quo aliqui probare conantur, posse spem dari in beato, ex eo, quod posset aliquis in priori signo sperare beatitudinem, in posteriori signo eiusdem instantis beatitudinem consequi. Dicendum enim, quod spes supponit bonum non possideri in eodem instanti, in quo speratur; ergo non potest in eodem instanti coniungi cum possessione boni speranti.

10. Opponi potest secundo: is, cui reuelatum sit peccatum aliquod committendum, vt de facto reuelatum fuit S. Petro peccatum negationis, posset sperare se peccatum illud vitaturum, vt de facto sperauit S. Petrus se non negaturum; ergo is, cui reuelata esset damnatio, posset sperare, se vitaturum damnationem.

11. Respondeo, nego antecedens, si loquamur de spe theologica, & prudenti, ideoque S. Petrus imprudenter sperauit se non negaturum, & de hac sua spe reprehensus fuit à Christo.

12. Dices: si S. Petrus non potuit prudenter sperare se non negaturum, neque potuit prudenter habere propositum affectiuè efficax non negandi.

13. Respondeo, nego antecedens. Propositum enim non peccandi semper est prudens, & honestum, ac propositum peccandi semper est imprudens, & inhonestum. At spes non peccandi est indifferens ad hoc, vt sit prudens, vel imprudens. Supposita enim certitudine, de eo, quod quis peccabit, est imprudens, si quidem imprudenter sperat quis se facturum id, quod certo scit, aut credit se non facturum. Ideo praecipuum sperandi salutem obligatolum